

ipsi pœnas promeritas denunciât, ac debita Gehennæ tormenta imminere sentit: accedit etiam nonnunquam apparitio spirituum malignorum, ad rapiendam animam paratorum, quæ immentum dolorem excitat: de quibus post paulo distinctius videbimus.

§. IV. Ut autem rem ipsam non tam fingi, quam existere constet; etsi neminem, qui τὰ ἐχάτα, & inter illa infernum seu damnationem æternam alias agnovit & credidit, inficias iturum putemus; si tamen argumentis utendum sit, non solum provocare possumus ad varia scripta Nostratum, qui illum, tanquam rem feriam, quæque aliis obtigerit, aliis metuenda sit, iusta atque erudita opera tractandum susceperunt. Ex quibus in primis laudamus D. *Cbytraeum* Lib. de Morte Æterna, *Morlinum*, *Gesnerum*, *Vinarienses*, *Bakium* ad diversa Scripturæ, Psalmorum cum primis, loca; *Gerbardum* in Harmonia, & alias, *Meyfartum* im höllischen Sodoma / *Brunchorstium* Libello peculiari von hohen Geistlichen Unsechtungen / *Murschelium* in Vespera occidentis gratiæ DEI, von Untergang der Gnade Gottes und Verschmack des ewigen Todes. Sed & ex vi oppositionis, sive quia prægustum beatitudinis dari, certum ac sæpe ostensum est; facile ostendi posse credimus, dari similiter prægustum status damnationis. Præterea præsto sunt non pauca Scripturæ dicta, quibus prægustus ille indicatur, v. g. quod Hanna I. Sam. II. 5. dicit: Dominus facit descendere in infernum, & facit ascendere. Quæ verba sic παραφράζει L. *Osiander*: Quos cælesti gaudio perfundere decrevit: eos prius inferni terrores & horrores in conscientia sentire sinit: Quod David Psalm. XVIII. 5. dicit: Torrentes Belial me terrebant: Dolores inferni circum dederant me. Et plura alia, quorum in progressu distinctam faciemus mentionem.

§. V. Exempli autem loco adduci solent *Jobus*, qui quamvis DEO probatissimus, de se ipso conqueritur cap. VI. 4. Sagittæ omnipotentis in me graviores sunt, quarum venenum bibit Spiritus meus, terrores DEI instructi invadunt me. David itidem, qui passive lamentatur, sagittas Domini alte corpori suo infixas esse.

Ps.